



Bodleian Libraries

UNIVERSITY OF OXFORD

This book is part of the collection held by the Bodleian Libraries and scanned by Google, Inc. for the Google Books Library Project.

For more information see:

<http://www.bodleian.ox.ac.uk/dbooks>



This work is licensed under a Creative Commons Attribution-NonCommercial-ShareAlike 2.0 UK: England & Wales (CC BY-NC-SA 2.0) licence.

OXFORD
UNIVERSITY
SCHOOL OF
ENGLISH

NAPIER
CB
5
EIN

E Libris

Arturi S. Napier.



CBAS EIN

Oxford University
ENGLISH FACULTY LIBRARY
Manor Road,
Oxford.

Tel.: Oxford 49631

Postcode: OX1 3UQ

Opening Hours:

Monday to Friday: 9.30 a.m. to 7 p.m. in Full Term.

(9.30 a.m. to 1 p.m., and 2 p.m. to 4 p.m. in Vacations.)

Saturday: 9.30 a.m. to 12.30 p.m. in Full Term only (closed in Vacations).

The Library is closed for ten days at Christmas and at Easter, on
Encaenia Day, and for six weeks in August and September.


*This book should be returned on or before the latest date
below:*

~~118 JUN 1981~~
~~15 OCT 1981~~

10 JUN 1994

~~10 OCT 1994~~
~~FILED~~

*Readers are asked to protect Library books from rain, etc.
Any volumes which are lost, defaced with notes, or otherwise
damaged, may have to be replaced by the Reader responsible.*



300002280F

GERMANISCHER BÜCHERSCHATZ

HERAUSGEGEBEN VON ALFRED HOLDER

EINHARDI

VITA KAROLI IMPERATORIS

EDIDIT

ALFRED HOLDER



FREIBURG I. B. UND TÜBINGEN 1882

AKADEMISCHE VERLAGSBUCHHANDLUNG VON J. C. B. MOHR

(PAUL SIEBECK)

GERMANISCHER BÜCHERSCHATZ
HERAUSGEGEBEN VON ALFRED HOLDER


EINHARDI
VITA KAROLI IMPERATORIS

EDIDIT

ALFRED HOLDER



FREIBURG I. B. UND TÜBINGEN 1882
AKADEMISCHE VERLAGSBUCHHANDLUNG VON J. C. B. MOHR
(PAUL SIEBECK)



Vitam et conuersionem et ex parte non modica res gestas domini et nutritoris mei Karoli, excellentissimi et merito famosissimi regis, postquam scribere animus tulit, quanta potui breuitate complexus sum; operam impendens, ut de his, quae ad meam notitiam peruenire potuerunt, nihil omitterem neque prolixitate narrandi noua quaeque fastidientium animos offenderem; si tamen hoc ullo modo uitari potest, ut noua scriptione non offendantur, qui uetera et a uiris doctissimis atque disertissimis confecta monumenta fastidiunt.

Et quamquam plures esse non ambigam, qui otio ac litteris dediti statum aevi praesentis arbitrentur ita neglegendum, ut omnia penitus, quae nunc fiunt, uelut nulla memoria digna silentio atque obliuioni tradantur, potiusque uelint, amore diuturnitatis inlecti, aliorum praecleara facta qualibuscumque scriptis inserere quam sui nominis famam posteritatis memoriae nihil scribendo subtrahere, tamen ab huiuscemodi scriptione non existimaui temperandum; quando mihi conscius eram, nullum ea ueracius quam me scribere posse, quibus ipse interfui quaeque praesens oculata, ut dicunt, fide cognoui et, utrum ab alio scriberentur necne, liquido scire non potui. Satiisque iudicaui eadem cum aliis uelut communiter litteris mandata memoriae posterorum tradere, quam regis excellentissimi et omnium sua aetate maximi clarissimam uitam et egregios atque moderni temporis hominibus uix imitabiles actus pati obliuionis tenebris aboleri.

Suberat et alia non inrationabilis, ut opinor, causa, quae uel sola sufficere posset, ut me ad haec scribenda compelleret, nutrimentum uidelicet in me impensum et

perpetua, postquam in aula eius conuersari coepi, cum ipso ac liberis eius amicitia. Qua me ita sibi deuinxit debitoremque tam uiuo quam mortuo constituit, ut merito ingratus uideri et iudicari possem, si, tot beneficiorum in me conlatorum immemor, clarissima et illustrissima hominis optime de me meriti gesta silentio praeterirem, patererque uitam eius, quasi qui numquam uixerit, sine litteris ac debita laude manere; cui scribendae atque explicandae non meum ingeniolum, quod exile et paruum, immo pene nullum est, sed Tullianam par erat desudare facundiam.

En tibi librum praeclarissimi et maximi uiri memoriam continentem; in quo praeter illius facta non est quod admireris, nisi forte, quod homo barbarus et in Romana locutione perparum exercitatus aliquid me decenter aut commode Latine scribere posse putauerim atque in tantam impudentiam proruperim, ut illud Ciceronis putarem contempnendum, quod in primo Tusculanarum libro (I 3, 6), cum de Latinis scriptoribus loqueretur, ita dixisse legitur: „Mandare quemquam,“ inquit, „litteris cogitationes suas, qui eas nec disponere nec illustrare possit, nec delectatione aliqua allicere lectorem, hominis est intemperanter abutentis et otio et litteris.“ Poterat quidem haec oratoris egregii sententia me a scribendo deterrere, nisi animo praemeditatum haberem, hominum iudicia potius experiri et haec scribendo ingenioli mei periculum facere, quam tanti uiri memoriam, mihi parcendo, praeterire.

VITA KAROLI IMPERATORIS.

1. Gens Meroingorum, de qua Franci reges sibi creare soliti erant, usque in Hildricum regem, qui iussu Stephani Romani pontificis depositus ac detonsus atque in monasterium trusus est, durasse putatur.

Quae licet in illo finita possit uideri, tamen iam dudum nullius uigoris erat, nec quicquam in se clarum praeter inane regis uocabulum praeferebat. Nam et opes

et potentia regni penes palatii praefectos, qui maiores domus dicebantur et ad quos summa imperii pertinebat, tenebantur. Neque regi aliud relinquebatur, quam ut, regio tantum nomine contentus, crine profuso, barba summissa, solio resideret ac speciem dominantis effingeret, legatos undecumque uenientes audiret eisque abeuntibus responsa, quae erat edoctus uel etiam iussus, ex sua uelut potestate redderet; cum praeter inutile regis nomen et precarium uitae stipendium, quod ei praefectus aulae prout uidebatur exhibebat, nihil aliud proprii possideret quam unam et eam praeparui reditus uillam, in qua domum et ex qua famulos sibi necessaria ministrantes atque obsequium exhibentes paucae numerositatis habebat. Quocumque eundum erat, carpento ibat, quod bubus iunctis et bubulco rustico more agente trahebatur. Sic ad palatium, sic ad publicum populi sui conuentum, qui annuatim ob regni utilitatem celebrabatur, ire, sic domum redire solebat. Ad regni administrationem et omnia, quae uel domi uel foris agenda ac disponenda erant, praefectus aulae procurabat.

2. Quo officio tum, cum Hildricus deponeretur, Pippinus pater Karoli regis iam uelut hereditario fungebatur. Nam pater eius Karolus, qui tyrannos per totam Franciam dominatum sibi uindicantes oppressit et Saracenos Galliam occupare temptantes duobus magnis proeliis, uno in Aquitania apud Pictauium ciuitatem, altero iuxta Narbonam apud Birram fluuium, ita deuicit, ut in Hispaniam eos redire compelleret, eundem magistratum a patre Pippino sibi dimissum egregie administrauit. Qui honor non aliis a populo dari consueuerat quam his, qui et claritate generis et opum amplitudine ceteris eminebant.

Hunc cum Pippinus pater Karoli regis ab auo et patre sibi et fratri Karlomanno relictum, summa cum eo concordia diuisum, aliquot annis uelut sub rege memorato tenuisset, frater eius Karlomannus (incertum quibus de causis; tamen uidetur, quod amore conuersationis contemplatiuae succensus), operosa temporalis regni administratione relicta, Romam se in otium contulit. Ibi que habitu permutato monachus factus, in monte Soracte

apud ecclesiam beati Siluestri constructo monasterio, cum fratribus secum ad hoc uenientibus per aliquot annos optata quiete perfruitur. Sed cum ex Francia multi nobilium ob uota soluenda Romam sollempniter commearent et eum uelut dominum quondam suum praeterire nollent, otium, quo maxime delectabatur, crebra salutatione interrumpentes, locum mutare conpellunt. Nam huiuscemodi frequentiam cum suo proposito officere uidisset, relicto monte, in Samnium prouintiam ad monasterium sancti Benedicti situm in castro Casino secessit et ibi, quod reliquum erat temporalis uitae, religiose conuersando compleuit.

3. Pippinus autem, per auctoritatem Romani pontificis ex praefecto palatii rex constitutus, cum per annos XV aut eo amplius Francis solus imperaret, finito Aquitanico bello, quod contra Vuaifarium ducem Aquitaniae ab eo susceptum per continuos nouem annos gerebatur, apud Parisios morbo aquae intercutis diem obiit, superstitibus liberis Karlo et Karlomanno.

Ad quos successio regni diuino nutu peruenerat. Franci siquidem, facto sollempniter generali conuentu, ambos sibi reges constituunt, ea conditione praemissa, ut totum regni corpus ex aequo partirentur; et Karolus eam partem, quam pater eorum Pippinus tenuerat, Karlomannus uero eam, cui patruus eorum Karlomannus praecerat, regendi gratia susciperet. Susceptae sunt utrimque conditiones, et pars regni diuisi iuxta modum sibi propositum ab utroque recepta est. Mansitque ista, quamuis cum summa difficultate, concordia; multis ex parte Karlomanni societatem separare molientibus, adeo ut quidam eos etiam bello committere sint meditati. Sed in hoc plus suspecti quam periculi fuisse, ipse rerum exitus adprobauit; cum, defuncto Karlomanno, uxor eius et filii cum quibusdam, qui ex optimatum eius numero primores erant, Italiam fuga petiit et, nullis existentibus causis spreto mariti fratre, sub Desiderii regis Langobardorum patrocinium se cum liberis suis contulit. Et Karlomannus quidem post administratum communiter biennio regnum morbo decessit; Karolus autem, fratre defuncto, consensu omnium Francorum rex constituitur.

4. De cuius natiuitate atque infantia uel etiam pueritia, quia neque scriptis umquam aliquid declaratum est, neque quisquam modo superesse inuenitur, qui horum se dicat habere notitiam, scribere ineptum iudicans, ad actus et mores ceterasque uitae illius partes explicandas ac demonstrandas, omissis incognitis, transire disposui; ita tamen, ut, primo res gestas et domi et foris, deinde mores et studia eius, tum de regni administratione et fine narrando, nihil de his, quae cognitu uel digna uel necessaria sunt, praetermittam.

5. Omnium bellorum, quae gessit, primo Aquitanicum a patre inchoatum, sed nondum finitum, quia cito peragi posse uidebatur, fratre adhuc uiuo, etiam et auxilium ferre rogato, suscepit. Et licet eum frater promisso frustrasset auxilio, susceptam expeditionem strenuissime exsecutus, non prius incepto desistere aut semel suscepto labori cedere uoluit, quam hoc, quod efficere moliebatur, perseuerantia quadam ac iugitate perfecto fine concluderet. Nam et Hunoldum, qui post Vuaifarii mortem Aquitaniam occupare bellumque iam pene peractum reparare temptauerat, Aquitaniam relinquere et Vuasconiam petere coegit. Quem tamen ibi consistere non sustinens, transmissa amne Garonna, Lupo Vuasconum duci per legatos mandat, ut perfugam reddat; quod ni festinato faciat, bello se eum expostulaturum. Sed Lupus, saniori usus consilio, non solum Hunoldum reddidit, sed etiam se ipsum cum prouintia, cui praeerat, eius potestati permisit.

6. Conpositis in Aquitania rebus eoque bello finito, regni quoque socio iam rebus humanis exempto, rogatu et precibus Adriani Romanae urbis episcopi exoratus, bellum contra Langobardos suscepit. Quod prius quidem et a patre eius, Stephano papa supplicante, cum magna difficultate susceptum est; quia quidam e primoribus Francorum, cum quibus consultare solebat, adeo uoluntati eius renisi sunt, ut se regem deserturos domumque redituros libera uoce proclamarent. Susceptum tamen est tunc contra Haistulfum regem et celerrime completum. Sed licet sibi et patri belli suscipiendi similis ac potius eadem causa subesse uideretur, haud simili tamen et la-

bore certatum et fine constat esse completum. Pippinus siquidem Haistulfum regem paucorum dierum obsidione apud Ticenum conpulit et obsides dare et erepta Romanis oppida atque castella restituere atque, ut reddita non repeterentur, sacramento fidem facere; Karolus uero post inchoatum a se bellum non prius destitit, quam et Desiderium regem, quem longa obsidione fatigauerat, in deditioem susciperet; filium eius Adalgisum, in quem spes omnium inclinatae uidebantur, non solum regno, sed etiam Italia excedere conpelleret, omnia Romanis erepta restitueret, Hruodgausum Foroiuliani ducatus praefectum res novas molientem opprimeret totamque Italiam suae ditioni subiugaret subactaeque filium suum Pippinum regem imponeret. Italiam intranti quam difficilis Alpium transitus fuerit, quantoque Francorum labore inuia montium iuga et eminentes in caelum scopuli atque asperae cautes superatae sint, hoc loco describerem, nisi uitae illius modum potius quam bellorum, quae gessit, euentus memoriae mandare praesenti opere animo esset propositum. Finis tamen huius belli fuit subacta Italia et rex Desiderius perpetuo exilio deportatus et filius eius Adalgisus Italia pulsus et res a Langobardorum regibus ereptae, Adriano Romanae ecclesiae rectori restitutae.

7. Post cuius finem Saxonicum, quod quasi intermissum uidebatur, repetitum est. Quo nullum neque prolixius neque atrocius Francorumque populo laboriosius susceptum est. Quia Saxones, sicut omnes fere Germaniam incolentes nationes, et natura feroces et cultui daemonum dediti nostraeque religioni contrarii, neque diuina neque humana iura uel polluere uel transgredi inhonestum arbitrabantur. Suberant et causae, quae cotidie pacem conturbare poterant, termini uidelicet nostri et illorum pene ubique in plano contigui, praeter pauca loca, in quibus uel siluae maiores uel montium iuga interiecta utrorumque agros certo limite disterminant, in quibus caedes et rapinae et incendia uicissim fieri non cessabant. Quibus adeo Franci sunt irritati, ut non iam uicissitudinem reddere, sed apertum contra eos bellum suscipere dignum iudicarent.

Susceptum est igitur aduersus eos bellum, quod

magna utrimque animositate, tamen maiore Saxonum quam Francorum damno, per continuos triginta tres annos gerebatur. Poterat siquidem citius finiri, si Saxonum hoc perfidia pateretur. Difficile dictu est, quotiens superati ac supplices regi se dediderunt, imperata facturos polliciti sunt, obsides, qui imperabantur, absque dilatione dederunt, legatos, qui mittebantur, susceperunt; aliquotiens ita domiti et emolliti, ut etiam cultum daemonum dimittere et Christianae religioni se subdere uelle promitterent. Sed sicut ad haec facienda aliquotiens proni, sic ad eadem peruertenda semper fuere praecipites, non sit ut satis aestimare, ad utrum horum faciliores uerius dici possint. Quippe cum post inchoatum cum eis bellum uix ullus annus exactus sit, quo non ab eis huiusmodi facta sit permutatio.

Sed magnanimitas regis ac perpetua tam in aduersis quam in prosperis mentis constantia nulla eorum mutabilitate uel uinci poterat uel ab his, quae agere coeperat, defatigari. Nam numquam eos huiusmodi aliquid perpetrantes impune ferre passus est, quin aut ipse per se ducto aut per comites suos misso exercitu perfidiam ulcisceretur et dignam ab eis poenam exigeret. Vsque dum, omnibus, qui resistere solebant, profligatis et in suam potestatem redactis, decem milia hominum ex his, qui utrasque ripas Albis fluminis incolebant, cum uxoribus et paruolis sublatis transtulit et huc atque illuc per Galliam et Germaniam multimoda diuisione distribuit. Eaque conditione a rege proposita et ab illis suscepta tractum per tot annos bellum constat esse finitum, ut, abiecto daemonum cultu et relictis patriis caerimoniis, Christianae fidei atque religionis sacramenta susciperent et Francis adunati unus cum eis populus efficerentur.

8. Hoc bello, licet per multum temporis spatium traheretur, ipse non amplius cum hoste quam bis acie conflixit, semel iuxta montem, qui Osneggi (Osnengi) dicitur in loco Theotmelli nominato, et iterum apud Hasa fluuium, et hoc uno mense, paucis quoque interpositis diebus. His duobus proeliis hostes adeo profligati ac deuicti sunt, ut ulterius regem neque prouocare neque ueni-enti resistere, nisi aliqua loci munitione defensi, auderent.

Plures tamen eo bello tam ex nobilitate Francorum quam Saxonum et functi summis honoribus uiri consumpti sunt. Tandemque anno tricesimo tertio finitum est, cum interim tot ac tanta in diuersis terrarum partibus bella contra Francos et exorta sint et sollertia regis administrata, ut merito intuentibus in dubium uenire possit, utrum in eo aut laborum patientiam aut felicitatem potius mirari conueniat. Nam biennio ante Italicum hoc bellum sumpsit exordium; et cum sine intermissione gereretur, nihil tamen ex his, quae aliubi erant gerenda, dimissum aut ulla in parte ab aequae operoso certamine cessatum est. Nam rex omnium, qui sua aetate gentibus dominabantur, et prudentia maximus et animi magnitudine praestantissimus, nihil in his, quae uel suscipienda erant uel exsequenda, aut propter laborem detrectauit aut propter periculum exhorruit; uerum, unumquodque secundum suam qualitatem et subire et ferre doctus, nec in aduersis cedere nec in prosperis falso blandienti fortunae adsentiri solebat.

9. Cum enim assiduo ac pene continuo cum Saxonibus bello certaretur, dispositis per congrua confinium loca praesidiis, Hispaniam quam maximo poterat belli apparatu adgreditur. Saltuque Pyrinei superato, omnibus, quae adierat, oppidis atque castellis in deditionem acceptis, saluo et incolomi exercitu reuertitur; praeter quod in ipso Pyrinei iugo Vuasconicam perfidiam parumper in redeundo contigit experiri. Nam cum agmine longo, ut loci et angustiarum situs permittebat, porrectus iret exercitus, Vuascones, in summi montis uertice positos insidiis (est enim locus ex opacitate siluarum, quarum ibi maxima est copia, insidiis ponendis oportunus) extremam impedimentorum partem et eos, qui nouissimi agminis incedentes subsidio praecedentes tuebantur, desuper incursantes in subiectam uallem deiciunt; consertoque cum eis proelio, usque ad unum omnes interficiunt; ac direptis impedimentis, noctis beneficio, quae iam instabat, protecti, summa cum celeritate in diuersa disperguntur. Adiuuabat in hoc facto Vuascones et leuitas armorum et loci, in quo res gerebatur, situs; econtra Francos et armorum grauitas et loci iniquitas per omnia Vuasconibus reddidit

impares. In quo proelio Eggihardus regiae mensae praepositus, Anshelmus comes palatii [et Hruodlandus Britannici limitis praefectus] cum aliis conpluribus interficiuntur. Neque hoc factum ad praesens uindicari poterat, quia hostis re perpetrata ita dispersus est, ut ne fama quidem remaneret, ubinam gentium quaeri potuisset.

10. Domuit et Brittones, qui, ad occidentem in extrema quadam parte Galliae super litus Oceani residentes, dicto audientes non erant, missa in eos expeditione, qua et obsides dare et, quae imperarentur, se facturos polliceri coacti sunt.

Ipse postea, cum exercitu Italiam ingressus ac per Romam iter agens, Capuam Campaniae urbem accessit, atque ibi positis castris bellum Beneuentanis, ni dederentur, comminatus est. Praeuenit hoc dux gentis Aragisus, filios suos Rumoldum et Grimoldum cum magna pecunia obuiam regi mittens. Rogat, ut filios obsides suscipiat, seque cum gente imperata facturum pollicetur, praeter hoc solum, si ipse ad conspectum uenire cogere-
tur. Rex, utilitate gentis magis quam animi eius obstinatione considerata, et oblatos sibi obsides suscepit eique, ut ad conspectum uenire non cogeretur, pro magno munere concessit; unoque ex filiis, qui minor erat, obsidatus gratia retento, maiorem patri remisit; legatisque ob sacramenta fidelitatis a Beneuentanis exigenda atque suscipienda cum Aragiso dimissis, Romam redit, consumptisque ibi in sanctorum ueneratione locorum aliquot diebus, in Galliam reuertitur.

11. Baioaricum deinde bellum et repente ortum et celeri fine completum est. Quod superbia simul ac socordia Tassilonis ducis excitauit; qui hortatu uxoris, quae filia Desiderii regis erat ac patris exilium per maritum ulcisci posse putabat, iuncto foedere cum Hunis, qui Baioariis sunt ab oriente contermini, non solum imperata non facere, sed bello regem prouocare temptabat. Cuius contumaciam, quia nimia uidebatur, animositas regis ferre nequiebat, ac proinde, copiis undique contractis, Baioariam petiturus, ipse ad Lechum amnem cum maximo uenit exercitu. Is fluuius Baioarios ab Alaman-

nis diuidit. Cuius in ripa castris conlocatis, priusquam prouintiam intraret, animum ducis per legatos statuit experiri. Sed nec ille pertinaciter agere uel sibi uel genti utile ratus, supplex se regi permisit; obsides, qui imperabantur, dedit, inter quos et filium suum Theodonem; data insuper fide cum iuramento, quod ab illius potestate ad defectionem nemini suadenti adsentire deberet. Sicque bello, quod quasi maximum futurum uidebatur, celerimus est finis impositus. Tassilo tamen postmodum ad regem euocatus, neque redire permissus; neque prouintia, quam tenebat, ulterius duci, sed comitibus ad regendum commissa est.

12. His motibus ita conpositis, Sclauis, qui nostra consuetudine Vuilzi, proprie uero, id est sua locutione, Vuelatabi dicuntur, bellum inlatum est. In quo et Saxones uelut auxiliares inter ceteras nationes, quae regis signa iussae sequebantur, quamquam ficta et minus deuota oboedientia, militabant. Causa belli erat, quod Abodritos, qui cum Francis olim foederati erant, assidua incursione lacescebant nec iussionibus coerceri poterant. Sinus quidam ab occidentali Oceano orientem uersus porrigitur, longitudinis quidem inconpertae, latitudinis uero, quae nusquam centum milia passuum excedat, cum in multis locis contractior inueniatur. Hunc multae circumsedent nationes; Dani siquidem ac Sueones, quos Nordmannos uocamus, et septemtrionale litus et omnes in eo insulas tenent. At litus australe Sclauum et Aisti et aliae diuersae incolunt nationes; inter quos uel praecipui sunt, quibus tunc a rege bellum inferebatur, Vuelatabi. Quos ille una tantum et, quam per se gesserat, expeditione ita contudit ac domuit, ut ulterius imperata facere minime renuendum iudicarent.

13. Maximum omnium, quae ab illo gesta sunt, bellorum praeter Saxonicum huic bello successit; illud uidelicet, quod contra Auares siue Hunos susceptum est. Quod ille et animosius quam cetera et longe maiori apparatu administravit. Vnam tamen per se in Pannoniam (nam hanc prouintiam ea gens tum incolebat) expeditionem fecit; cetera filio suo Pippino ac praefectis prouintiarum, comitibus etiam atque legatis perficienda

commisit. Quod cum ab his strenuissime fuisset administratum, octauo tandem anno completum est. Quod proelia in eo gesta, quantum sanguinis effusum sit, testatur uacua omni habitatore Pannonia et locus, in quo regia Kagani erat, ita desertus, ut ne uestigium quidem in eo humanae habitationis appareat. Tota in hoc bello Hunorum nobilitas periit, tota gloria decidit; omnis pecunia et congesti ex longo tempore thesauri direpti sunt. Neque ullum bellum contra Francos exortum humana potest memoria recordari, quo illi magis ditati et opibus aucti sint. Quippe cum usque in id temporis pene pauperes uiderentur, tantum auri et argenti in regia reperiunt, tot spolia pretiosa in proeliis sublata, ut merito credi possit, hoc Francos Hunis iuste eripuisse, quod Huni prius aliis gentibus iniuste eripuerunt. Duo tantum ex proceribus Francorum eo bello perierunt: Ericus dux Foroiulianus in Liburnia iuxta Tharsaticam maritimam ciuitatem, insidiis oppidanorum interceptus, et Geroldus Baioariae praefectus, in Pannonia cum contra Hunos proeliaturus aciem strueret, incertum a quo, cum duobus tantum, qui eum obequitantem ac singulos hortantem comitabantur, interfectus est. Ceterum incruentum pene Francis hoc bellum fuit et prosperrimum exitum habuit, tametsi diutius sui magnitudine traheretur.

Post quod et Saxonicum suae prolixitati conuenientem finem accepit.

Boemanicum quoque et Linonicum, quae postea exorta sunt, diu durare non potuerunt. Quorum utrumque ductu Karoli iunioris celeri fine completum est.

14. Vltimum contra Nordmannos, qui Dani uocantur, primo pyratice exercentes, deinde maiori classe litora Galliae atque Germaniae uastantes, bellum susceptum est. Quorum rex Godofridus adeo uana spe inflatus erat, ut sibi totius Germaniae promitteret potestatem. Frisiam quoque atque Saxoniam haud aliter atque suas prouintias aestimabat. Iam Abodritos, uicinos suos, in suam ditionem redegerat; iam eos sibi uectigales fecerat. Iactabat etiam se breui Aquasgrani, ubi regis comitatus erat, cum maximis copiis aduenturum. Nec dictis eius, quamuis uanissimis, omnino fides abnuebatur;

quin potius putaretur tale aliquid inchoaturus, nisi festinata fuisset morte praeuentus. Nam a proprio satellite interfectus, et suae uitae et belli a se inchoati finem accelerauit.

15. Haec sunt bella, quae rex potentissimus per annos XLVII. (tot enim annis regnauerat) in diuersis terrarum partibus summa prudentia atque felicitate gessit. Quibus regnum Francorum, quod post patrem Pippinum magnum quidem et forte suscepit, ita nobiliter ampliavit, ut pene duplum illi adiecerit. Nam cum prius non amplius quam ea pars Galliae, quae inter Rhenum et Ligerem, Oceanumque ac mare Balearicum iacet, et pars Germaniae, quae inter Saxoniam et Danubium Rhenumque ac Salam fluuium, qui Thuringos et Sorabos diuidit, posita, a Francis, qui orientales dicuntur, incolitur, et praeter haec Alamanni atque Baioarii ad regni Francorum potestatem pertinerent; ipse per bella memorata primo Aquitaniam et Vvasconiam totumque Pyrinei montis iugum et usque ad Hiberum amnem, qui, apud Nauarros ortus et fertilissimos Hispaniae agros secans, sub Dertosae ciuitatis moenia Balearico mari miscetur; deinde Italiam totam, quae ab Augusta Praetoria usque in Calabriam inferiorem, in qua Graecorum ac Beneuentanorum constat esse confinia, decies centum et eo amplius passuum milibus longitudine porrigitur; tum Saxoniam, quae quidem Germaniae pars non modica est, et eius, quae a Francis incolitur, duplum in lato habere putatur, cum ei longitudine possit esse consimilis; postquam utramque Pannoniam et adpositam in altera Danubii ripa Daciam, Histriam quoque et Liburniam atque Dalmaciam, exceptis maritimis ciuitatibus, quas ob amicitiam et iunctum cum eo foedus Constantinopolitanum imperatorem habere permisit; deinde omnes barbaras ac feras nationes, quae inter Rhenum ac Visulam fluuios Oceanumque ac Danubium positae, linguae quidem pene similes, moribus uero atque habitu ualde dissimiles, Germaniam incolunt, ita perdomuit, ut eas tributarias efficeret. Inter quas fere praecipuae sunt Vuelatabi, Sorabi, Abodriti, Boemani; cum his namque bello conflixit. Ceteras, quarum multo maior est numerus, in deditionem suscepit.

16. Auxit etiam gloriam regni sui quibusdam regibus ac gentibus per amicitiam sibi conciliatis.

Adeo namque Hadeonsum Galleciae atque Asturicae regem sibi societate deuinxit, ut is, cum ad eum uel litteras uel legatos mitteret, non aliter se apud illum quam proprium suum appellari iuberet.

Scotorum quoque reges sic habuit ad suam uoluntatem per munificentiam inclinatos, ut eum numquam aliter nisi dominum seque subditos et seruos eius pronuntiarent. Extant epistolae ab eis ad illum missae, quibus huiusmodi affectus eorum erga illum indicatur.

Cum Aaron rege Persarum, qui excepta India totum pene tenebat orientem, talem habuit in amicitia concordiam, ut is gratiam eius omnium, qui in toto orbe terrarum erant, regum ac principum amicitiae praeponeret solumque illum honore ac munificentia sibi colendum iudicaret. Ac proinde, cum legati eius, quos cum donariis ad sacratissimum domini ac saluatoris nostri sepulchrum locumque resurrectionis miserat, ad eum uenissent et ei domini sui uoluntatem indicassent, non solum quae petebantur fieri permisit, sed etiam sacrum illum et salutarem locum, ut illius potestati adscriberetur, concessit; et reuertentibus legatis suos adiungens, inter uestes et aromata et ceteras orientalium terrarum opes ingentia illi dona direxit, cum ei ante paucos annos eum, quem tunc solum habebat, roganti mitteret elephantum.

Imperatores etiam Constantinopolitani Niciforus, Michahel et Leo ultro amicitiam et societatem eius expetentes, conplures ad eum misere legatos. Cum quibus tamen propter susceptum a se imperatoris nomen et ob hoc [eis], quasi qui imperium eis eripere uellet, ualde suspectum, foedus firmissimum statuit, ut nulla inter partes cuiuslibet scandali remaneret occasio. Erat enim semper Romanis et Grecis Francorum suspecta potentia. Vnde et illud Grecum extat prouerbium: *TON ΦΠΑΝΚΟΝ ΦΙΑΟΝ ΕΧΙC, ΓΙΤΟΝΑ ΟΥΚ ΕΧΙC*.

17. Qui cum tantus in ampliando regno et subigendis exteris nationibus existeret et in eiusmodi occupationibus assidue uersaretur, opera tamen plurima ad regni

decorem et commoditatem pertinentia diuersis in locis inchoauit, quaedam etiam consummauit. Inter quae praecipua [fere] non inmerito uideri possunt basilica sanctae dei genitricis Aquisgrani opere mirabili constructa et pons apud Mogontiacum in Rheno quingentorum passuum longitudinis ([nam] tanta est ibi fluminis latitudo); qui tamen uno antequam decederet anno incendio conflagrauit, nec refici potuit propter festinatum illius decessum, quamquam in ea meditatione esset, ut pro ligneo lapideum restitueret. Inchoauit et palatia operis egregii, unum haud longe a Mogontiaco ciuitate iuxta uillam cui uocabulum est Ingilenheim, alterum Nouiomagi super Vahalem fluuium, qui Batauorum insulam a parte meridiana praeterfluit. Praecipue tamen aedes sacras, ubicumque in toto regno suo uetustate conlapsas conperit, pontificibus et patribus, ad quorum curam pertinebant, ut restaurarentur, imperauit, adhibens curam per legatos, ut imperata perficerent.

Molitus est et classem contra bellum Nordmannicum, aedificatis ad hoc nauibus iuxta flumina, quae et de Gallia et de Germania septemtrionalem influunt Oceanum. Et quia Nordmanni Gallicum litus atque Germanicum assidua infestatione uastabant, per omnes portus et ostia fluminum, qua naues recipi posse uidebantur, stationibus et excubiis dispositis, nequa hostis exire potuisset, tali munitione prohibuit. Fecit idem a parte meridiana in litore prouintiae Narbonensis ac Septimaniae, toto etiam Italiae litore usque Romam contra Mauros, nuper pyratam exercere adgressos. Ac per hoc nullo graui damno uel Italia a Mauris, uel Gallia atque Germania a Nordmannis diebus suis adfecta est, praeter quod Centumcellae ciuitas Etruriae per proditionem a Mauris capta atque uastata est et in Frisia quaedam insulae Germanico litori contiguae a Nordmannis depraedatae sunt.

18. Talem eum in tuendo et ampliando simulque ornando regno fuisse constat. Cuius animi dotes et summam in qualicumque et prospero et aduerso euentu constantiam ceteraque ad interiorem atque domesticam uitam pertinentia iam abhinc dicere exordiar.

Post mortem patris cum fratre regnum partitus, tanta patientia simultates et inuidiam eius tulit, ut omnibus mirum uideretur, quod ne ad iracundiam quidem ab eo prouocari potuisset.

Deinde cum matris hortatu filiam Desiderii regis Langobardorum duxisset uxorem, incertum qua de causa, post annum eam repudiauit. Et Hildigardem, de gente Suaborum praecipuae nobilitatis feminam, in matrimonium accepit; de qua tres filios, Karolum uidelicet, Pippinum et Hludoicum, totidemque filias, Hruodtrudem et Berhtam et Gislam, genuit. Habuit et alias tres filias, Theoderadam et Hiltrudem et Hruodhaidem, duas de Fastrada uxore, quae de orientalium Francorum, Germanorum uidelicet, gente erat; tertiam de concubina quadam, cuius nomen modo memoriae non occurrit. Defuncta Fastrada, Liutgardam Alamannam duxit, de qua nihil liberorum tulit. Post cuius mortem tres [quatuor] habuit concubinas, [Madelgardam scilicet, quae peperit ei filiam Ruothildam], Gersuindam Saxonici generis, de qua ei filia nomine Adaltrud nata est, et Reginam, quae ei Drogonem et Hugum genuit, et Adallindem, ex qua Theodericum procreauit.

Mater quoque eius Berthrada in magno apud eum honore consenuit. Colebat enim eam cum summa reuerentia, ita ut nulla umquam inuicem sit exorta discordia, praeter in diuortio filiae Desiderii regis, quam illa suadente acceperat. Decessit tandem post mortem Hildigardae, cum iam tres nepotes suos totidemque neptes in filii domo uidisset. Quam ille in eadem basilica, qua pater situs est, apud sanctum Dionisium magno cum honore fecit humari.

Erat ei unica soror nomine Gisla, a puellaribus annis religiosae conuersationi mancipata; quam similiter ut matrem magna coluit pietate. Quae etiam paucis ante obitum illius annis in eo, quo conuersata est, monasterio decessit.

19. Liberos suos ita censuit instituendos, ut tam filii quam filiae primo liberalibus studiis, quibus et ipse operam dabat, erudirentur. Tum filios, cum primum

aetas patiebatur, more Francorum equitare, armis ac uenatibus exerceri fecit; filias uero lanificio adsuescere colloque ac fuso, ne per otium torperent, operam impendere atque ad omnem honestatem erudiri iussit.

Ex his omnibus duos tantum filios et unam filiam, priusquam moreretur, amisit: Karolum, qui maior natus erat, et Pippinum, quem regem Italiae praefecerat, et Hruodthrudem, quae filiarum eius primogenita et a Constantino Grecorum imperatore desponsata erat. Quorum Pippinus unum filium suum Bernhardum, filias autem quinque: Adalhaidem, Atulam, Gundradam, Berthaidem ac Theoderadam superstites reliquit. In quibus rex pietatis suae praecipuum documentum ostendit, cum, filio defuncto, nepotem patri succedere et neptes inter filias suas educari fecisset.

Mortes filiorum ac filiae pro magnanimitate, qua excelebat, minus patienter tulit, pietate uidelicet, qua non minus insignis erat, compulsus ad lacrimas. Nuntiato etiam sibi Adriani Romani pontificis obitu, quem in amicis praecipuum habebat, sic fleuit, ac si fratrem aut filium amisisset carissimum. Erat enim in amicitiiis optime temperatus, ut eas et facile admitteret et constantissime retineret, colebatque sanctissime quoscumque hac adfinitate sibi coniunxerat.

Filiorum ac filiarum tantam in educando curam habuit, ut numquam domi positus sine ipsis caenaret, numquam iter sine illis faceret; adequitabant ei filii, filiae uero pone sequebantur, quarum agmen extremum ex satellitum numero ad hoc ordinati tuebantur.

Quae cum pulcherrimae essent et ab eo plurimum diligerentur, mirum dictu, quod nullam earum cuiquam aut suorum aut exterorum nuptum dare uoluit; sed omnes secum usque ad obitum suum in domo sua retinuit, dicens se earum contubernio carere non posse. Ac propter hoc, licet alias felix, aduersae fortunae malignitatem expertus est. Quod tamen ita dissimulauit, ac si de eis nulla umquam alicuius probri suspicio exorta uel fama dispersa fuisset.

20. Erat ei filius nomine Pippinus ex concubina editus, cuius inter ceteros mentionem facere distuli, facie

quidem pulcher, sed gibbo deformis. Is, cum pater, bello contra Hunos suscepto, in Baioaria hiemaret, aegritudine simulata, cum quibusdam e primoribus Francorum, qui eum uana regni promissione inlexerant, aduersus patrem coniurauit. Quem post fraudem detectam et damnationem coniuratorum detonsum in coenobio Prumia religiosae uitae iamque uolentem uacare permisit.

Facta est et alia prius contra eum in Germania ualida coniuratio. Cuius auctores partim luminibus orbati, partim membris incolomes, omnes tamen exilio deportati sunt. Neque ullus ex eis est interfectus, nisi tres tantum; qui, cum se, ne comprehenderentur, strictis gladiis defenderent, aliquos etiam occidissent, quia aliter coerceri non poterant, interempti sunt.

Harum tamen coniurationum Fastradae reginae crudelitas causa et origo extitisse creditur; et idcirco in ambabus contra regem conspiratum est, quia, uxoris crudelitati consentiens, a suae naturae benignitate ac solita mansuetudine inmaniter exorbitasse uidebatur. Ceterum per omne uitae suae tempus ita cum summo omnium amore atque fauore et domi et foris conuersatus est, ut numquam ei uel minima iniustae crudelitatis nota a quoquam fuisset obiecta.

21. Amabat peregrinos et in eis suscipiendis magnam habebat curam, adeo ut eorum multitudo non solum palatio, uerum etiam regno non inmerito uideretur onerosa. Ipse tamen prae magnitudine animi huiuscemodi pondere minime grauabatur, cum etiam ingentia incommoda laude liberalitatis ac bonae famae mercede compensaret.

22. Corpore fuit amplo atque robusto, statura eminenti, quae tamen iustam non excederet (nam septem suorum pedum proceritatem eius constat habuisse mensuram), apice capitis rotundo, oculis praegrandibus ac uegetis, naso paululum mediocritatem excedenti, canitie pulchra, facie laeta et hilari. Vnde formae auctoritas ac dignitas tam stanti quam sedenti plurima acquirebatur; quamquam ceruix obesa et breuior uenterque proiectior uideretur, tamen haec ceterorum membrorum celabat aequalitas. Incessu firmo totaque corporis habitudine

uirili; uoce clara quidem, sed quae minus corporis formae conueniret; ualitudine prospera, praeter quod, antequam decederet, per quatuor annos crebro febribus corripiebatur, ad extremum etiam uno pede claudicaret. Et tunc quidem plura suo arbitratu quam medicorum consilio faciebat; quos pene exosos habebat, quod ei in cibis assa, quibus assuetus erat, dimittere et elixis adsuescere suadebant.

Exercebatur assidue equitando ac uenando; quod illi gentilicium erat, quia uix ulla in terris natio inuenitur, quae in hac arte Francis possit aequari. Delectabatur etiam uaporibus aquarum naturaliter calentium, frequenti natatu corpus exercens; cuius adeo peritus fuit, ut nullus ei iuste ualeat anteferri. Ob hoc etiam Aquisgrani regiam extruxit ibique extremis uitae annis usque ad obitum perpetim habitauit. Et non solum filios ad balneum, uerum optimates et amicos, aliquando etiam satellitum et custodum corporis turbam inuitauit, ita ut nonnumquam centum uel eo amplius homines una lauarentur.

23. Vestitu patrio, id est Francico, utebatur. Ad corpus camisam lineam; et feminalibus lineis induebatur; deinde tunicam, quae limbo serico ambiebatur, et tibialia; tunc fasciolis crura et pedes calciamentis constringebat; et ex pellibus [lutrinis et murinis] thorace confecto umeros ac pectus hieme muniebat; sago Veneto amictus et gladio semper accinctus, cuius capulus ac balteus aut aureus aut argenteus erat. Aliquotiens et gemmato ense utebatur; quod tamen non nisi in praecipuis festiuitatibus uel siquando exterarum gentium legati uenissent. Peregrina uero indumenta, quamuis pulcherrima, respuebat, nec umquam eis indui patiebatur, excepto quod Romae semel, Adriano pontifice petente, et iterum, Leone successore eius supplicante, longa tunica et chlamide amictus, calceis quoque Romano more formatis induebatur. In festiuitatibus ueste auro texta et calciamentis gemmatis et fibula aurea sagum adstringente, diademate quoque ex auro et gemmis ornatus incedebat. Aliis autem diebus habitus eius parum a communi ac plebeio abhorrebat.

24. In cibo et potu temperans, sed in potu temperantior, quippe qui ebrietatem in qualicumque homine, nedum in se ac suis, plurimum abhominabatur. Cibo

enim non adeo abstinere poterat, ut saepe quereretur noxia corpori suo esse ieiunia. Conuiuabatur rarissime, et hoc praecipuis tantum festiuitatibus, tunc tamen cum, magno hominum numero. Caena cotidiana quaternis tantum ferculis praebebatur, praeter assam, quam uenatores ueribus inferre solebant, qua ille libentius quam ullo alio cibo uescebatur. Inter caenandum aut aliquod acroama aut lectorem audiebat. Legebantur ei historiae et antiquorum res gestae. Delectabatur et libris sancti Augustini, praecipueque his, qui De ciuitate dei praetitulati sunt. Vini et omnis potus adeo parcus in bibendo erat, ut super caenam raro plus quam ter biberet.

Aestate post cibum meridianum, pomorum aliquid sumens ac semel bibens, depositis uestibus et calciamentis, uelut noctu solitus erat, duabus aut tribus horis quiescebat. Noctibus sic dormiebat, ut somnum quater aut quinquies non solum expergescendo, sed etiam desurgendo interrumperet.

Cum calciaretur et amiciretur, non tantum amicos admittebat, uerum etiam, si comes palatii litem aliquam esse diceret, quae sine eius iussu definiri non posset, statim litigantes introducere iussit et, uelut pro tribunali sederet, lite cognita sententiam dixit. Nec hoc tantum eo tempore, sed etiam quicquid ea die cuiuslibet officii agendum aut cuiquam ministrorum iniungendum erat, expediebat.

25. Erat eloquentia copiosus et exuberans, poteratque, quicquid uellet, apertissime exprimere. Nec patrio tantum sermone contentus, etiam peregrinis linguis ediscendis operam impendit. In quibus Latinam ita didicit, ut aequae illa ac patria lingua orare sit solitus; Graecam uero melius intellegere quam pronuntiare poterat. Adeo quidem facundus erat, ut etiam dicaculus appareret.

Artes liberales studiosissime coluit, earumque doctores plurimum ueneratus magnis adiciebat honoribus. In discenda grammatica Petrum Pisanum diaconem senem audiuit. In ceteris disciplinis Albinum cognomento Alcoinum, item diaconem, de Britannia Saxonici generis hominem, uirum undecumque doctissimum, praeceptorem habuit; apud quem et rethoricae et dialecticae, praecipue

tamen astronomiae ediscendae plurimum et temporis et laboris impertiuit. Discebat artem computandi, et intentione sagaci siderum cursum curiosissime rimabatur. Temptabat et scribere, tabulasque et codicellos ad hoc in lecto sub ceruicalibus circumferre solebat, ut, cum uacuum tempus esset, manum litteris effigiendis adsuesceret. Sed parum successit labor praeposterus ac sero inchoatus.

26. Religionem Christianam, qua ab infantia fuerat imbutus, sanctissime et cum summa pietate coluit. Ac propter hoc plurimae pulchritudinis basilicam Aquisgrani extruxit auroque et argento et luminaribus atque ex aere solido cancellis et ianuis adornauit. Ad cuius structuram cum columnas et marmora aliunde habere non posset, Roma atque Rauenna deuehenda curauit. Ecclesiam et mane et uespere, item nocturnis horis et sacrificii tempore, quoad eum ualitudo permiserat, impigre frequentabat. Curabatque magnopere, ut omnia, quae in ea gerebantur, cum quam maxima fierent honestate; aedituos creberrime commonens, nequid indecens aut sordidum aut inferri aut in ea remanere permetterent. Sacrorum uasorum ex auro et argento uestimentorumque sacerdotalium tantam in ea copiam procurauit, ut in sacrificiis celebrandis ne ianitoribus quidem, qui ultimi ecclesiastici ordinis sunt, priuato habitu ministrare necesse fuisset. Legendi atque psallendi disciplinam diligentissime emendauit. Erat enim utriusque admodum eruditus, quamquam ipse nec publice legeret nec nisi submissim et in commune cantaret.

27. Circa pauperes sustentandos et gratuitam liberalitatem, quam Graeci eleimosynam uocant, deuotissimus, ut qui non in patria solum et in suo regno id facere curauerit, uerum trans maria in Syriam et Aegyptum atque Africam, Hierosolimis, Alexandriae atque Chartagini, ubi Christianos in paupertate uiuere compererat, penuriae illorum compatiens, pecuniam mittere solebat; ob hoc maxime transmarinorum regum amicitias expetens, ut Christianis sub eorum dominatu degentibus refrigerium aliquod ac releuatio proueniret.

Colebat prae ceteris sacris et uenerabilibus locis

apud Romam ecclesiam beati Petri apostoli; in cuius donaria magna uis pecuniae tam in auro quam in argento nec non et gemmis ab illo congesta est. Multa et innumera pontificibus munera missa. Neque ille toto regni sui tempore quicquam duxit antiquius, quam ut urbs Roma sua opera suoque labore uetere polleret auctoritate et ecclesia sancti Petri per illum non solum tuta ac defensa, sed etiam suis opibus prae omnibus ecclesiis esset ornata atque ditata. Quam cum tanti penderet, tamen intra XLVII annorum, quibus regnauerat, spatium quater tantum illo uotorum soluendorum ac supplicandi causa profectus est.

28. Ultimi aduentus sui non solum hae fuere causae, uerum etiam quod Romani Leonem pontificem, multis affectum iniuriis, erutis scilicet oculis linguaque amputata, fidem regis implorare compulerunt. Idcirco Romam ueniens, propter reparandum, qui nimis conturbatus erat, ecclesiae statum ibi totum hiemis tempus extraxit. Quo tempore imperatoris et augusti nomen accepit. Quod primo in tantum auersatus est, ut adfirmaret se eo die, quamuis praecipua festiuitas esset, ecclesiam non intraturum, si pontificis consilium praescire potuisset. Inuidiam tamen suscepti nominis, Romanis imperatoribus super hoc indignantibus, magna tulit patientia. Vicitque eorum contumaciam magnanimitate, qua eis procul dubio longe praestantior erat, mittendo ad eos crebras legationes et in epistulis fratres eos appellando.

29. Post susceptum imperiale nomen cum aduerteret multa legibus populi sui deesse (nam Franci duas habent leges, in plurimis locis ualde diuersas) cogitauit, quae deerant addere et discrepantia unire, praua quoque ac perperam prolata corrigere; sed de his nihil aliud ab eo factum est, nisi quod pauca capitula, et ea imperfecta, legibus addidit. Omnium tamen nationum, quae sub eius dominatu erant, iura, quae scripta non erant, describere ac litteris mandari fecit.

Item barbara et antiquissima carmina, quibus ueterum regum actus et bella canebantur, scripsit memoriae mandauit. Inchoauit et grammaticam patrii sermonis.

Mensibus etiam iuxta propriam linguam uocabula imposuit, cum ante id temporis apud Francos partim Latinis partim barbaris nominibus pronuntiarentur. Item uentos duodecim propriis appellationibus insigniuit, cum prius non amplius quam uix quatuor uentorum uocabula possent inueniri. Et de mensibus quidem Ianuarium Vuintarmanoth, Februarium Hornung, Martium Lentzinmanoth, Aprilem Ostarmanoth, Maium Vuinnemanoth, Iunium Brachmanoth, Iulium Heuumanoth, Augustum Aranmanoth, Septembrem Vuitumanoth, Octobrem Vuindumemanoth, Nouembrem Herbstmanoth, Decembrem Heilagmanoth appellauit. Ventis uero hoc modo nomina imposuit, ut Subsolanum uocaret Ostroniuuint, Eurum Ostsundroni, Euroaustrum Sundostroni, Austrum Sundroni, Austroafricanum Sunduestroni, Africanum Vuestsundroni, Zephyrum Vuestroni, Chorum Vuestnordroni, Circium Norduestroni, Septemtrionem Nordroni, Aquilonem Nordostroni, Vulturum Ostnordroni.

30. Extremo uitae tempore, cum iam et morbo et senectute premeretur, euocatum ad se Hludoicum filium Aquitaniae regem, qui solus filiorum Hildigardae supererat, congregatis sollempniter de toto regno Francorum primoribus, cunctorum consilio consortem sibi totius regni et imperialis nominis heredem constituit, impositoque capiti eius diademate, imperatorem et augustum iussit appellari. Susceptum est hoc eius consilium ab omnibus, qui aderant, magno cum fauore; nam diuinitus ei propter regni utilitatem uidebatur inspiratum. Auxitque maiestatem eius hoc factum et exteris nationibus non minimum terroris incussit.

Dimisso deinde in Aquitaniam filio, ipse more solito, quamuis senectute confectus, non longe a regia Aquensi uenatum proficiscitur, exactoque in huiuscemodi negotio quod reliquum erat autumnus, circa Kalendas Nouembris Aquisgrani reuertitur.

Cumque ibi hiemaret, mense Ianuario febre ualida correptus decubuit. Qui statim, ut in febribus solebat, cibi sibi abstinentiam indixit, arbitratus hac continentia morbum posse depelli uel certe mitigari. Sed accedente ad febrem lateris dolore, quem Graeci pleuresin dicunt,

illoque adhuc in ediam retinente neque corpus aliter quam rarissimo potu sustentante, septimo postquam decubuit die, sacra communione percepta, decessit anno aetatis suae septuagesimo secundo et ex quo regnare coeperat quadragesimo septimo, V. Kalendas Februarii, hora diei tertia.

31. Corpus more sollempni lotum et curatum et maximo totius populi luctu ecclesiae inlatum atque humatum est. Dubitatum est primo, ubi reponi deberet, eo quod ipse uiuus de hoc nihil praecepisset. Tandem omnium animis sedit, nusquam eum honestius tumulari posse quam in ea basilica, quam ipse propter amorem dei et domini nostri Ihesu Christi et ob honorem sanctae et aeternae uirginis genetricis eius proprio sumptu in eodem uico construxit. In hac sepultus est eadem die, qua defunctus est, arcusque supra tumulum deauratus cum imagine et titulo extractus.

Titulus ille hoc modo descriptus est: SVB HOC CONDITORIO SITVM EST CORPVS KAROLI MAGNI ATQVE ORTHODOXI IMPERATORIS. QVI REGNVM FRANCORVM NOBILITER AMPLIAVIT. ET PER ANNOS XLVII FELICITER REXIT. DECESSIT SEPTVAGENARIVS ANNO DOMINI [DCCC. XIII]. INDICTIONE [VII]. V. KAL. FEBR.

32. Adpropinquantis finis conplura fuere prodigia, ut non solum alii, sed etiam ipse hoc minitari sentiret. Per tres continuos uitaeque termino proximos annos et solis et lunae creberrima defectio et in sole macula quaedam atri coloris septem dierum spatio uisa. Porticus, quam inter basilicam et regiam operosa mole construxerat, die ascensionis domini subita ruina usque ad fundamenta conlapsa. Item pons Rheni apud Mogontiacum, quem ipse per decem annos ingenti labore et opere mirabili de ligno ita construxit, ut perenniter durare posse uideretur, ita tribus horis fortuito incendio conflagrauit, ut, praeter quod aqua tegebatur, ne una quidem astula ex eo remaneret. Ipse quoque, cum ultimam in Saxoniam expeditionem contra Godofridum regem Danorum ageret, quadam die, cum ante exortum solis castris egressus iter agere coepisset, uidit repente delapsam cae-

litus cum ingenti lumine facem a dextra in sinistram per serenam aera transcurrere; cunctisque hoc signum, quid portenderet, ammirantibus, subito equus, quem sedebat, capite deorsum merso decidit eumque tam grauiter ad terram elisit, ut, fibula sagi rupta balteoque gladii dissipato, a festinantibus, qui aderant, ministris exarmatus et sine amiculo leuaretur. Iaculum etiam, quod tunc forte manu tenebat, ita elapsum est, ut uiginti uel eo amplius pedum spacio longe iaceret. Accessit ad hoc creber Aquensis palatii tremor et in domibus, ubi conuersabatur, assiduus laqueariorum crepitus. Tacta etiam de caelo, in qua postea sepultus est, basilica, malumque aureum, quo tecti culmen erat ornatum, ictu fulminis dissipatum et supra domum pontificis, quae basilicae contigua erat, proiectum est. Erat in eadem basilica in margine coronae, quae inter superiores et inferiores arcus interiorem aedis partem ambiebat, epigramma sinopide scriptum, continens, quis auctor esset eiusdem templi, cuius in extremo uersu legebatur: KAROLVS PRINCEPS. Notatum est a quibusdam eodem, quo decessit, anno paucis ante mortem mensibus eas, quae PRINCEPS exprimebant, litteras ita esse deletas, ut penitus non apparerent. Sed superiora omnia sic aut dissimulauit aut spreuit, ac si nihil horum ad res suas quolibet modo pertineret.

33. Testamenta facere instituit, quibus filias et ex concubinis liberos ex aliqua parte sibi heredes faceret; sed tarde inchoata perfici non poterant. Diuisionem tamen thesaurorum et pecuniae ac uestium aliaeque suppellectilis coram amicis et ministris suis annis tribus, antequam decederet, fecit, contestatus eos, ut post obitum suum a se facta distributio per illorum suffragium rata permaneret; quidque ex his, quae diuiserat, fieri uellet, breuiario comprehendit. Cuius ratio ac textus talis est:

„IN NOMINE DOMINI DEI OMNIPOTENTIS PATRIS ET FILII ET SPIRITVS SANCTI. » Descriptio atque diuisio, quae facta est a gloriosissimo atque piissimo domno Karolo imperatore augusto anno ab incarnatione domini nostri Ihesu Christi DCCCXI, anno uero regni eius in Francia XLIII et in Italia XXXVI,

imperii autem XI, indictione IIII, quam pia et prudenti consideratione facere decreuit, et domino annuente perfecit de thesauris suis atque pecunia, quae in illa die in camera eius inuenta est. In qua illud praecipue praecauere uoluit, ut non solum eleimosinarum largitio, quae sollempniter apud Christianos de possessionibus eorum agitur, pro se quoque de sua pecunia ordine atque ratione perficeretur, sed etiam, ut heredes sui, omni ambiguitate remota, quid ad se pertinere deberet, liquido cognoscere et sine lite atque contentione sua inter se competenti partitione diuidere potuissent.

Hac igitur intentione atque proposito omnem substantiam atque suppellectilem suam, quae in auro et argento gemmisque et ornatu regio in illa, ut dictum est, die in camera eius poterat inueniri, primo quidem trina diuisione partitus est; deinde easdem partes subdividendo de duabus partibus XX et unam partem fecit, tertiam integram reseruauit.

Et duarum quidem partium in XX et unam partem facta diuisio tali ratione consistit, ut, quia in regno illius metropolitanae ciuitates XX et una esse noscuntur, unaquaeque illarum partium ad unamquamque metropolim per manus heredum et amicorum suorum eleimosinae nomine perueniat, et archiepiscopus, qui tunc illius ecclesiae rector extiterit, partem, quae ad suam ecclesiam data est, suscipiens, cum suis suffraganeis partiatur, eo scilicet modo, ut pars tertia suae sit ecclesiae, duae uero partes inter suffraganeos diuidantur.

Harum diuisionum, quae ex duabus primis partibus factae sunt et iuxta metropoleorum ciuitatum numerum XX et una esse noscuntur, unaquaeque ab altera sequestrata semotim in suo reposito cum superscriptione ciuitatis, ad quam perferenda est, recondita iacet. Nomina metropoleorum, ad quas eadem eleimosina siue largitio facienda est, haec sunt: Roma, Rauenna, Mediolanum, Forum Iulii, Gradus, Colonia, Mogontiacus, Iuuauum quae et Salzburc, Treueri, Senones, Vesontio, Lugdunum, Rotumagus, Remi, Arelas, Vienna, Darantasia, Ebrodunum, Burdigala, Turones, Bituriges.

Vnius autem partis, quam integram reseruari uoluit,

talis est ratio, ut, illis duabus in supradictas diuisiones distributis et sub sigillo reconditis, haec tertia in usu cotidiano uersaretur, uelut res, quam nulla uoti obligatione a dominio possidentis alienatam esse constaret, et hoc tamdiu, quoad usque uel ille mansisset in corpore uel usum eius sibi necessarium iudicaret. Post obitum uero suum aut uoluntariam saecularium rerum carentiam eadem pars quatuor subdivisionibus secaretur, et una quidem earum supradictis XX et unae partibus adderetur, altera a filiis ac filiabus suis filiisque ac filiabus filiorum suorum assumpta, iusta et rationabili inter eos partitione diuideretur, tertia uero consueto Christianis more in usum pauperum fuisset erogata, quarta simili modo nomine eleimosinae in seruorum et ancillarum usibus palatii famulantium sustentationem distributa ueniret.

Ad hanc tertiam totius summae portionem, quae similiter ut ceterae ex auro et argento constat, adiungi uoluit omnia ex aere et ferro aliisque metallis uasa atque utensilia cum armis et uestibus alioque aut pretioso aut uili ad uarios usus facto suppellectili, ut sunt cortinae, stragula, tapetia, filtra, coria, sagmata, et quicquid in camera atque uestiario eius eo die fuisset inuentum, ut ex hoc maiores illius partis diuisiones fierent et erogatio eleimosinae ad plures peruenire potuisset.

Capellam, id est ecclesiasticum ministerium, tam id, quod ipse fecit atque congregauit, quam quod ad eum ex paterna hereditate peruenit, ut integrum esset neque ulla diuisione scinderetur, ordinauit.

Siqua autem inuenirentur aut uasa aut libri aut alia ornamenta, quae liquido constaret eidem capellae ab eo conlata non fuisse, haec qui habere uellet, dato iustae aestimationis pretio, emeret et haberet. Similiter et de libris, quorum magnam in bibliotheca sua copiam congregauit, statuit, ut ab his, qui eos habere uellent, iusto pretio fuissent redempti, pretiumque in pauperibus erogatum.

Inter ceteros thesauros atque pecuniam tres mensas argenteas et auream unam praecipuae magnitudinis et ponderis esse constat. De quibus statuit atque decreuit, ut una ex his, quae forma quadrangula descriptionem

urbis Constantinopolitanae continet, inter cetera donaria, quae ad hoc deputata sunt, Romam ad basilicam beati Petri apostoli deferatur; et altera, quae forma rotunda Romanae urbis effigie figurata est, episcopio Rauennatis ecclesiae conferatur. Tertiam, quae ceteris et operis pulchritudine et ponderis grauitate multum excellit, quae ex tribus orbibus conexas totius mundi descriptionem subtili ac minuta figuratione conplectitur, et auream illam, quae quarta esse dicta est, in tertiae illius et inter heredes suos atque in eleimosinam diuidendae partis augmentum esse constituit.

Hanc constitutionem atque ordinationem coram episcopis, abbatibus comitibusque, qui tunc praesentes esse potuerunt, quorumque hic nomina descripta sunt, fecit atque constituit. Episcopi: Hildebaldus, Richolfus, Arn, Vuolfarius, Bernoinus, Laidradus, Iohannes, Theodulfus, Iesse, Heito, Vualtgaudus. Abbates: Fredugisus, Adalungus, Engilbertus, Irmino. Comites: Vualah, Meginheri, Otulfus, Stephanus, Vnruchus, Burchardus, Meginhardus, Hatto, Rihuuinus, Edo, Ercangarius, Geroldus, Bero, Hildigernus, Hroccolfus.“

Haec omnia filius eius Hluduicus, qui ei diuina iussione successit, inspecto eodem breuiario, quam celerime poterat, post obitum eius summa deuotione adimplere curauit.

GERVVARDI VERSVS.

Hos tibi uersiculos ad laudem, maxime princeps,
Edidit eternam memoriamque tuam
Geruuardus supplex famulus, qui mente benigna
Egregium extollit nomen ad astra tuum.
Hanc prudens gestam noris tu scribere, lector,
Einhardum, magni magnificum Karoli.

VVALAFRIDI PROLOGVS.

Gloriosissimi imperatoris Karoli uitam et gesta, quae subiecta sunt, Einhartus, uir inter omnes huius temporis palatinos non solum pro scientia, uerum et pro uniuersa morum honestate laudis egregie, descripsisse cognoscitur et purissime ueritatis, utpote qui his pene omnibus interfuerit, testimonio roborasse.

Natus enim in orientali Francia in pago, qui dicitur Moingeuui, in Fuldensi cenobio sub pedagogio sancti Bonifacii martiris prima puerilis nutrire rudimenta suscepit. Indeque potius propter singularitatem capacitatis et intelligencie, quae iam tum in illo magnum, quod postea claruit, specimen sapientie promittebat, quam ob nobilitatis, quod in eo minus erat insigne, a Baugolfo abbate monasterii supradicti in palacium Karoli translatus est.

Quippe qui omnium regum audissimus erat sapientes diligenter inquirere et, ut cum omni delectatione philosopharentur, excolere. Ideo regni a deo sibi commissi nebulosam et, ut ita dicam, pene cecam latitudinem

totius scientie noua irradiacione et huic barbariei ante partim incognita luminosam reddidit, deo illustrante. Nunc uero, relabentibus in contraria studiis, lumen sapientie, quod minus diligitur, rarescit in plurimis.

Predictus itaque homuncio (nam statura despicabilis uidebatur) in aula Karoli, amatoris sapientie, tantum glorie incrementi merito prudentie et probitatis est assecutus, ut inter omnes maiestatis regie ministros pene nullus haberetur, cui rex id temporis potentissimus et sapientissimus plura familiaritatis sue secreta committeret. Et re uera non inmerito; cum non modo ipsius Karoli temporibus, sed et (quod maioris est miraculi) sub Lodo-uico imperatore, cum diuersis et multis perturbacionibus Francorum res publica fluctuaret et in multis decideret, mira quadam et diuinitus prouisa libracione se ipsum deo protegente custodierit, ut subtilitatis nomen, quod multis inuidiam comparauit et risum, ipsum nec in mature deseruerit nec periculis irremediabilibus manciparit.

Hec dicimus, ut in dictis eius minus quisque habeat dubitacionis, dum non ignoret, eum et dilectioni prouectoris sui laudem precipuam et curiositati lectorum ueritatem debere (prebere *Jaffé*) perspicuam.

Huic opusculo ego Strabo titulos et incisiones, prout uisum est congruum, inserui, ut ad singula facilius querenti quod placuerit elucescat accessus.



INDEX NOMINVM.


- Aaron [Hârûn ar- raschîd] rex Persarum 16
 Abodriti 12. 14. 15
 Adalgisus 6
 Adalhaidis 19
 Adallindis 18
 Adaltrud 18
 Adalungus abbas [Laureshamensis] 33
 Adrianus [I] Romanae urbis ep., R. ecclesiae rector 6, Romanus pontifex 19. 23
 Aegyptus 27
 Africa 27
 Africus (uentus) 29
 Aisti 12
 Alamanni 11. 15. Alamanna 18
 Albinus cognomento Alcoinus 25
 Albis flumen 7
 Alcoinus 25
 Alexandria 27
 Alpes 6
 Anshelmus 9
 Aprilis (mensis) 29
 Aquasgrani 14
 Aquisgrani 17. 20. 26. 30
 Aquensis, regia 30
 Aquense palatium 32
 Aquilo (uentus) 29
 Aquitania 2. 3. 5. 6. 15. 30
 Aquitanicum bellum 3. 5
 Aragisus 10
 Aranmanoth 29
 Arelas 33
 Arn ep. [Salzburgensis] 33
 Asturica 16
 Atula 19
 Auares 13
 Augusta Praetoria 15
 Augustinus, sanctus 24
 Augustus (mensis) 29
 Auster (uentus) 29
 Austroafricanus (uentus) 29
 Baioaria 11. 13. 20
 Baioaricum bellum 11
 Baioarii 11. 15
 Balearicum, mare 15
 Batauorum insula 17
 Benedictus, sanctus 2
 Beneuentani 10. 15
 Berhta 18
 Bernhardus 19
 Bernoinus ep. [Vesontinus] 33
 Bero comes 33
 Berthaidis 19
 Berthrada 18
 Boemani 15
 Boemanicum (bellum) 13
 Birra fluuius 2
 Bituriges 33
 Brachmanoth 29
 Britannia 25
 [Brittannicus limes 9]
 Brittones 10
 Burchardus comes 33
 Burdigala 33
 Kaganus 13
 Calabria inferior 15
 Campania 10
 Capua 10
 Carlomannus 2. 3
 Karlus 3
 Karolus [Martellus] 2
 Karolus Praef.; 2. 3. 6. 31. 32. 33
 Karolus iunior [† 811] 13. 18. 19.

- Casinum, castrum 2
Centumcellae ciuitas Etruriae
[Cività Vecchia] 17
Chartago 27
Chorus (uentus) 39
Christiana fides, religio 7. 26
Christiani 27. 33
Christus, Ihesus 31. 33
Cicero [Tusc. I 3, 6] Praef.
Circius (uentus) 29
Colonia 33
Constantinopolitani imperatores
15. 16. urbs Constantinopo-
litana 33
Constantinus [V] Grecorum im-
perator 19
- Dacia 15
Dalmacia 15
Dani 12. 14. 32
Danubius 15
Darantasia [Tarantaise] 33
December (mensis) 29
Dertosa ciuitas 15
Desiderius rex Langobardorum
3. 6. 11. 18
Dionisius, sanctus 18
Drogo 18
- Ebrodunum [Embrun] 33
Edo comes 33
Egghardus 9
Engilbertus abbas s. Richarii
Centulensis 33
Ercangarius comes 33
Ericus dux Foroiulianus 13
Etruria 17
Euroauster (uentus) 29
Eurus (uentus) 29
- Fastrada 18. 20
Februarius (mensis) 29. 30. 31
Foroiulianus ducatus 6. dux 13
Forum Iulii 33
Franci 1. 3. 6. 7. 8. 9. 12. 13. 15.
16. 19. 20. 22. 29. 30. 31. F.
orientales (Germani) 15. 18.
Φρανκον 16
Francia 2. 33
Francicus, uestitus 23
- Fredugisus abbas [s. Martini
Turonensis et s. Bertini Si-
thiensis] 33
Frisia 14. 17
- Gallecia 16
Gallia 2. 7. 10. 14. 15. 17
Garonna, amnis 5
Germani 18
Germania 7. 14. 15. 17. 20
Germanicum litus 17
Geroldus Baioariae praefectus
13
Geroldus comes 33
Gersuinda 18
Gisla (Karoli filia) 18. (Karoli
soror) 18
Godofridus rex Danorum 14. 32
Gradus 33
Greci 15. 16. 17. 19. 30
Grecum prouerbium 16. lingua
Graeca 25
Grimoldus 10
Gundrada 19
- Hadefonsus [I] Galleciae et Astu-
ricae rex 16
Haistulfus rex 6
Hasa fluuius 8
Hatto comes 33
Heilagmanoth 29
Heito ep. [Basiliensis] 33
Herbistmanoth 29
Heuimanoth 29
Hiberus amnis 15
Hierosolima 27
Hildebaldus ep. [Coloniensis] 33
Hildigarda, Hildigardis 18. 30
Hildigernus comes 33
Hildricus [III] rex 1. 2
Hiltrudis 18
Hispania 2. 9. 15
Histria 15
Hludoicus 18. 30
Hludoicus 33
Hornung 29
Hroccolfus comes 33
Hruodgausus Foroiuliani duca-
tus praefectus 6
Hruodhaidis 18

- [Hruodlandus Brittannici limitis
praefectus 9]
Hruodtrudis 18. Hruodthrudis
19
Hugus 18
Huni 11. 13. 20
Hunoldus 5
- Ianuaris (mensis) 29. 30
Iesse ep. [Ambianensis] 33
Ihesus Christus 31. 33
India 16
Ingilenheim, uilla 17
Iohannes [II] ep. [Arelatensis]
33
Irmino abbas [s. Germani Parisi-
aci] 33
Italia 3. 6. 10. 15. 17. 19. 33
Italicum bellum 8
Iulii, Forum 33
Iulius (mensis) 29
Iunius (mensis) 29
Iuuauum 33
- Laidradus ep. [Lugdunensis] 33
Langobardi 3. 6. 18
Latina nomina 29
Latine, Praef.
Latini scriptores, Praef.
Lechus amnis 11
Lentzinmanoth 29
Leo [V] imp. 16
Leo [III] pontifex 23. 28
Liburnia 13. 15
Ligeris 15
Linonicum bellum 13
Liutgarda 18
Lugdunum 33
Lupus Vuasconum dux 5
- [Madelgarda 18]
Maius (mensis) 29
Martius (mensis) 29
Mauri 17
Mediolanum 33
Meginhardus comes 33
Meginheri comes 33
Meroingorum, gens 1
Michahel [I] imp. 16
Mogontiacus 17. 31. 33
- Narbona 2
Narbonensis, prouintia 17
Nauarri 15
Niciphorus imp. 16
Nordmanni 12. 14. 17
Nordmannicum, bellum 17
Nordostroni 29
Nordroni 29
Norduestroni 29
Nouember (mensis) 29. 30
Nouiomagus [Nijmegen] 17
- Oceanus 10. 15
— occidentalis 12
— septentrionalis 17
October (mensis) 29
Osneggi [Osning] (mons) 8
Ostarmanoth 29
Ostnordroni 29
Ostroniuuint 29
Ostsundroni 29
Otulfus comes 33
- Pannonia 13. utraque P. 15
Parisii 3
Petrus apostolus, beatus 27. 33.
sanctus Petrus 27
Petrus Pisanus 25
Pictauium ciuitas 2
Pippinus (Karoli pater) 2. 3. 15.
(Karoli filius) 6. 13. 18. 19.
(filius ex concub.) 20
Pisanus, Petrus 25
Prumia, coenobium 20
Pyrinei, saltus, iugum 9. mons 15
- Rauenna 26. 33
Rauennas ecclesia 33
Regina 18
Remi 33
Rhenus 15. 17. 31
Richolfus ep. [Moguntinus] 33
Rihuuius comes 33
Roma 2. 10. 17. 23. 26. 27. 28. 33
Romani 6. 16. 28. Romana eccle-
sia 6. Romani imperatores
28. Romana locutio, Praef.
Romanus mos 23. R. pontifex
1. 3. 19. Romana urbs 6. 33
Rotumagus 33

- Rumoldus 10
[Ruothilda 18]
- Sala fluuius 15
Salzburc 33
Samnium prouintia 2
Sarraceni 2
Saxones 7. 8. 9. 12
Saxonia 14. 15. 32
Saxonicum bellum 7. 13. S.
genus 18. 25
Sclai 12
Scoti 16
Senones 33
September (mensis) 29
Septemtrio 29
Septimania 17
Silvester, beatus 2
Sorabi 15
Soracte, mons 2
Stephanus [III] Romanus ponti-
fex 1. papa 6.
Stephanus comes 33
Suabi 18
Subsolanus (uentus) 29
Sueones 12
Sundostroni 29
Sundroni 29
Sunduuestroni 29
Syria 27
- Tassilo dux 11
Tharsatica ciuitas [Tersato] 13
Theoderada (Karoli filia) 18.
(Pippini Ital. filia) 19
Theodericus 18
Theodo 11
- Theodulfus ep. [Aurelianensis] 33
Theotmelli, locus [Detmold] 8
Thuringi 15
Ticenun 6
Treueri 33
Tulliana facundia, Praef.
Turones 33
Tusculanarum libro, in primo,
Praef.
- Vahalis fluuius 17
Venetum, sagum 23
Vesontio 33
Vienna 33
Visula fluu. [Weichsel] 15
Vnruochus comes 33
Vulturun (uentus) 29
- Vuaifarius dux Aquitaniae 3. 5
Vualah comes [postea abbas
Corbeiensis] 33
Vualtgaudus ep. [Leodiensis] 33
Vuascones 5. 9
Vuasconia 5. 15
Vuasconica 9
Vuelatabi 12. 15
Vuestnordroni 29
Vuestroni 29
Vuestsundroni 29
Vuilzi 12
Vuindumemanoth 29
Vuinnemanoth 29
Vuintarmanoth 29
Vuitumanoth 29
Vuolfarius ep. [Remensis] 33
- Zephyrus (uentus) 29





Gleichzeitig erscheint:

CORNELII TACITI DE ORIGINE ET SITU GERMANORUM LIBER.
Edidit Alfred Holder.

Die nächsten Bände werden enthalten:

BAEDAE HISTORIA ECCLESIASTICA GENTIS ANGLORUM. Edidit
Alfred Holder.

NITHARDI HISTORiarUM LIBRI III. Edidit Alfred Holder.

OTFRID. Herausgegeben von Paul Piper.

SAXONIS GRAMMATICI HISTORIA DANICA. Edidit Alfred Holder.



